

aliquod probrum commode exprimunt. Vide, quam pulcre rem tantam repraesentet Sanctus Apostolus ecclesiae Corinthiae pronubus et paranymphus eam per puram sanctamque doctrinam conservaverat immaculatam, credit vero fieri posse, ut abducatur ab illa sua castitate, et corrumpatur, suoque honore ac Sponsae dignitate exuatur, in eumque statum conjiciatur, ut secessionis suae et scortationis damna aeternum deploret ac lugeat. Duo hic occasione data monemus. *Alterum*, quod *AVGVSTINVS*, observante *ESTIO*, in duobus locis, citando oraculum nostrum, castitatem pro simplicitate in Christo posuerit, et aut forsan legerit ἀγνότης pro ἀπλότης, aut etiam ipsam ἀπλότης vocem sic maluerit reddere, non plane incommode ad rem praesentem, cum simplicitas fidei nihil aliud sit, quam castimonia sanctae Christi doctrinae soli adhaerens, cui opponitur adulterium mysticum, quo anima falsis doctrinis adulterari se patitur: *Alterum*, quod *Vulgatus* cum non assequeretur nexum sermonis μή πως φθαρή τὰ νοήματα ὑμῶν ἀπὸ τῆς ἀπλότης, maluerit aliquid inferere, et sic vertere: *ne corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quae est in Christo*: ubi tamen τὸ *EXCIDANT* praeter rem additum est et abundat, illud enim sub ipsa φθορᾷ intelligitur, utpote; quae non saltem complectitur positionem falsi dogmatis recepti, verum etiam privationem illius boni, quod in candida, genuina, simplici ac vera doctrina homo possidebat: recte itaque et sufficienter *LVTHERVS*: *Daß nicht eure Sinne verrückt werden von der Einfältigkeit in Christo Jesu* / quam enim emphasin illa vox ab ipso adhibita gerat, ut et spoliationem boni et induitionem contrarii boni inferat, patebit, si recte intuearis locum *Coloss. II, 18*. qui nostro oraculo prorsus est parallelus.

XIII.